



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 87. Reformationis articuli Hispani Oratoris impulsu suppressi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

quamvis nunquam publici juris fierent. Sæcul. XVI.
A.C. 1551.
interim id unice ex Francisci Vargas
literis compertum habemus, ab Epis-
copis fuisse petitum, ut restauratis Pro-
vincialibus Conciliis beneficia conferen-
di jus solis Episcopis, excluso Pontifi-
cis consensu adfriberetur. Recitat in-
super idem Vargas Regii Senatus Ca-
stellani literas, in quibus de pluribus
corruptelis quærelæ ingeminantur, si-
mulque Carolus V. Imperator sollicita-
tur, ut horum abusuum correctionem
a Papa postularet. Hos inter recense-
batur beneficiorum curatorum, ut vo-
cant, pluralitas, Commendæ, Coad-
jutoriæ, plurium beneficiorum unio ad
dies vitæ, regressus, expectativæ, be-
neficia jure quasi hæreditario aucupan-
di artes, secretæ, ac dolosæ resignatio-
nes, beneficia exteris conferendi usus,
exemptiones ab Ordinarii jurisdictione,
ac denique Judices Conservatores eli-
gendi privilegium Ecclesiasticis cœti-
bus concessum. Insuper postulabatur,
ut Papa Inquisitionis Officium sua ful-
ciret auctoritate, nihilque illius firmi-
tati contrarium concederet.

§. LXXXVII.

*Reformationis articuli Hispani Ora-
toris impulsu suppressi.*

Præterea probe notandum, quod in-

L 2 ter

Sæc. XVI. ter reformationis articulos a Legato in
A.C. 1551. nupera Sessione vigesimo quinto No-
 vembris die propositos quinque adjecta
 fuerint capita circa Ecclesiarum, & Ec-
 clesiasticorum immunitatem: cum ve-
 ro Franciscus Toletanus hisce articulis
 quasdam leges ab Hispaniæ Regibus
 pro tuenda eorum auctoritate, ac ju-
 risdictione Regia conditas labefactari
 crederet, rem ita instruxit, ut præfata
 quinque capita delerentur. Ea recen-
 set Franciscus Vargas in quadam epi-
 stola ad Atrebatensem Episcopum die
 vigesima sexta Novembris; seu pridie ad
 Sessionem data: erant autem sequentia:
 I. Si simplex Clericus recepta prima
 tonsura aliis vestibus, quam Clericali
 statui congruis, vel ab Episcopo præ-
 scriptis indutus incedat, a Judice pro-
 fano æque, ac Laicus castigari poterit;
 II. Tonsuratus, si crimen commiserit,
 Clericorum privilegio non gaudeat in
 iis delictis, quæ ante tonsuram perpe-
 travit: III. Clerici uxorati in caulis
 criminalibus pro laicis habendi sint,
 nullumque Ordinis Clericalis privile-
 gium concedatur. IV. Nullus Laicus,
 cuiuscunque dignitatis, vel sub cuius-
 cunque privilegii, vel consuetudinis
 prætextu audiendus sit, si contra eos,
 qui Sacris Ordinibus iniciati sunt, etiam
 in atrocissimis criminibus judicii acta

in-

intentare cogitat. V. Si quis comisso **Sæcul. XVI.**
atroci facinore, quod mortis pœnam pro- **A.C. 1551.**
meretur, ad effugiendam judicis severi-
tatem ad Ecclesiam confugerit, Epis-
copus loci præcipere poterit, ut com-
prehendatur, atque carceri mancipetur,
quoniam unacum Judice profano, cuius
foro reus est obnoxius, ad judicium
capitale procedere, eumque mortis
suppicio addicere poterit. (*)

§. LXXXVIII.

Georgius Martinusius Varadinensis
Episcopus in Cardinalem nominatus.

Hoc anno summus Pontifex duos Præ- **Ciacon. in vit.**
sules purpura decorabat; ac primo **Pontif. tom.**
quidem non nisi Georgium Martinusium **3. p. 761.**
Varadinensem Episcopum crebat. Erat **Pallav. hist.**
is Anno Domini millesimo quadringen- **Conc. Trid.**
-i. 13. c. 1. n. 4.

L 3 tesimo

(*) Vel falsum est, quod quinque hi ar-
ticuli tuendæ Regiæ auctoritati, ac jurisdictioni
adversari, fuerint crediti, vel inanes erunt
quorundam Pseudo-Politicorum nœniae, dum
hi immunitatem Clericorum a foro sacerdotali,
necnon Asyla publicæ status quieti, ac Principi-
um auctoritati contraria esse scriptis suis di-
vulgant, cum constet, quod Hispaniæ Reges
pro tuenda sua auctoritate, ac jurisdictione ar-
ticulos, quibus Synodus hanc immunitatem
Clericorum ac locorum restringebat, aboleri
voluerint.